

venda et utriusque salutem procurandam, praecipue si pseudo-conjuges jam liberos susceperint. Quandoque tamen, ob periculum fidei vel morum uni parti ex alterius consortio imminens, solutio putativi conjugii praefenda foret. Nonnumquam etiam juvabit in bona fide relinquere putativos conjuges, vid. quando ambo in ea versantur, neque probabiliter timendum est ne ab ea deturbentur vel impedimentum publicum fiat; aliunde vero timentur graviora mala vel scandala e monitione, ex. gr. quia una pars nollet praestare id quod absolute ab ea praestandum foret ut matrimonium revalidaretur. Ubi talia damna non timentur, adsunt vero rationes sufficientes ad dispensationem obtinendam, regulariter monendi sunt etiam ii qui in bona fide versantur: proderit enim ipsis gratiam sacramenti suscipere, et ab omni periculo dubiorum in posterum liberari. Sed plerumque praestabit monitionem differre donec dispensatio obtenta fuerit, praesertim ubi agitur de impedimento infamante: secus enim in magnas angustias conjicietur pars impedimenti conscia, cum ab usu conjugii prorsus abstinere debeat, neque causam talis abstinentiae comparti manifestare queat.

Haud leve discrimen in modo revalidandi matrimonii reperitur, prout ratio nullitatis est defectus solius consensus matrimonialis, defectus formae Tridentinae, vel impedimentum proprie dictum, quo scil. partes ad contrahendum inhabiles reddantur. Quare de triplici illa hypothese singillatim agemus.

#### § 1. DE MATRIMONIO Nullo OB DEFECTUM CONSENSUS.

**535.** Quotiescumque matrimonium irritum est ob solum defectum consensus substantialis, convalidari potest, absque ulla dispensatione, per consensum valide praestitum. Id contingit quotiens unicus defectus est in consensu utriusque vel alterutrius partis ficto, per metum extorto, ob errorem vel condicionem substantialiter vitiato, etc.

Igitur si uterque invalide consensit, necesse est ut consensus ab utroque detur, remoto impedimento quo antea vitiatus fuit, ex. gr. cessante metu vel errore; si unus tantum dedit consensum nullum, ex. gr. ob fictionem vel metum, sufficit ut ab eo novus consensus validus detur, perseverante consensu alterius partis. Ita enim obtinebitur inter utrumque consensum moralis unio: quae plane sufficit. (n. 457) Censendus autem est alterius partis consensus moraliter perseverare, quotiescumque illum non positive revocaverit; neque obstat dispositio animi qua forte, cognita matrimonii nullitate, a comparte discedere vellet: siquidem hic unice attenditur actualis ejus voluntas, minime vero ea quam, verificata qualibet hypothese, habitura esset. Consensus autem a parte

nullitatis conscia praestari potest vel expresse vel etiam exercite, puta per copulam conjugali animo habitam. Attamen necesse est ut novus consensus ponatur independenter a priore, qui invalidus supponitur: quare oportet ut qui metum passus sit etc. nullitatem matrimonii cognoscat. Insuper, cum nonnulli AA., enumerati a S. Alph. (n. 1114), censeant requiri ut altera quoque pars de nullitate matrimonii moneatur, conandum est ut id fiat, quotiens nullus probabilis timor est ne matrimonium abrumpatur vel scandala oriantur.

Quatenus, in hoc casu, sit iterum contrahendum in forma Tridentina, colliges ex dicendis n. 538: eadem enim distinctio hic adhibenda est.

#### § 2. DE MATRIMONIO Nullo OB DEFECTUM FORMAE TRIDENTINAE.

**536.** Quando matrimonium nullum est unice ob defectum formae Tridentinae, nulla opus est dispensatione, sed sufficit ut in forma consueta contrahatur.

Quodsi uterque conjux paratus est se sistere coram parcho et testibus, revalidabitur matrimonium in forma consueta, occulte si nullitas occulta est, publice si nullitas publica est. Attamen, juxta Instr. a Cardinali Caprara, Legato a latere in Gallia, editam 25 Aqr. 1803, etiamsi nullitas publica est, poterit Ordinarius, ob peculiares circumstantias, indulgere ut occulte adhibeatur forma Tridentina, dummodo publicum scandalum alia ratione removeatur. Ita, etiam renuente alterutro vel utroque pergere ad ecclesiam, poterit contrahi in quolibet loco, adhibita forma substantiali.

Si una pars renuit coram parcho comparere, conandum est ut per procuratorem vel litteras contrahere velit. (n. 495. II) Saepe etiam, ne tentatis quidem hisce mediis, juvabit recurrere ad sanationem in radice. (Feye, n. 779)

Si neutra pars formam substantialem adhibere velit, nihil tentandum est donec ad meliorem frugem redeant: siquidem Ecclesia in hoc casu sanationem in radice absolute quidem potest, sed non solet concedere.

Tandem si conjuges, postquam matrimonium clandestinum contraxerint in loco ubi viget decretum *Tametsi*, sedem figunt in loco ubi non viget, matrimonium eorum revalidabitur eo ipso quod, nullitatis conscii, consensum renovant, saltem per copulam conjugali animo habitam. Si vero nullitatem ignorarent vel ad eam nullatenus attenderent, matrimonium eorum non convalidaretur per continuatam vitam conjugalem: sic enim confirmaretur tantum prior consensus invalidus, non daretur novus a priore independens, quod necessarium foret. (De Becker, p. 340) In hunc sensum solvit casum particularem S. Inqu. 31 Aug. 1887. (ap. Gasp. n. 982)

## § 3. DE MATRIMONIO Nullo OB INHABILITATEM PARTIUM.

**537.** Quando matrimonium invalide contractum fuit ob aliquod impedimentum dirimens, triplex verificari potest hypothesis: vel impedimentum decursu temporis cessat ab intrinseco, puta impedimentum ligaminis mortuo conjugē cui una pars alligata erat, impedimentum cultus baptizata parte infideli, etc.; vel impedimentum manet, sed ex iis est in quibus Ecclesia dispensare nequit vel de facto non dispensat, puta affinitas e copula licita in primo gradu lineae rectae; vel tandem impedimentum manet quidem, sed ab Ecclesia tolli potest soletque.

Itaque:

1<sup>o</sup> Quando impedimentum cessat ab intrinseco, videndum est utrum nullitatem illam cognoscant partes an ignorent. Si eam utraque pars ignorat, non convalidatur matrimonium per solum consensum antea datum et virtualiter perseverantem in copula, cohabitatione etc. Cfr. rationem et decisionem S. Inqu. modo allatas. (n. 536) (1) Si vero utraque pars, nullitatis conscia, sublato impedimento consensum renovat seu expresse, seu virtualiter, valebit matrimonium, modo non obstat impedimentum clandestinitatis. Quatenus in hoc casu ad liceitatem requiratur publica matrimonii celebratio, patebit e dicendis n. 538. Quodsi una tantum pars sciret nullitatem et, cessante impedimento, consensum suum conjungeret cum consensu alterius virtualiter perseverante, videtur matrimonium convalescere, juxta dicenda n. 539.

2<sup>o</sup> Quando impedimentum manet, neque dispensatione tolli potest, si ambae partes in bona fide versantur, generatim in ea reliquendae sunt. Evacuata bona fide, petenda esset a iudice ecclesiastico sententia declaratoria nullitatis vel si, in casu rarissimo, abesset grave periculum incontinentiae, sini possent partes cohabitare tamquam frater et soror.

3<sup>o</sup> Quando impedimentum manet, sed dispensatione tolli potest, neque conjuges in bona fide relinquendi videntur (n. 534), duplici modo peti

(1) Huic opinioni novum pondus adiecit S. Off. resp. 8 Maii 1899. Propositus fuerat casus mulieris protestantis, quae primum, cum nondum baptizata esset, nupsit viro protestanti baptizato, postea vero adhuc protestans baptizata erat et aliquod tempus cum eodem viro vixerat; eadem nunc, ob adulterium illius viri, postulabat facultatem contrahendi cum viro catholico. Responsum fuit: "Praevio juramento ab Amalia praestando quo declaret matrimonium contractum cum Joanne, post baptismum ipsius Amaliae, ab iisdem, *scientibus illius nullitatem*, ratificatum non fuisse in loco ubi matrimonia clandestina vel mixta valida habentur, et dummodo R. P. D. Archiepiscopus moraliter certus sit de asserta ignorantia sponsorum circa impedimentum disparitatis cultus, detur mulieri documentum libertatis ex capite ipsius disparitatis cultus."

et concedi potest illa dispensatio: alter ordinarius dicitur, alter extraordinarius seu dispensatio in radice. De singulis breviter dicemus.

## Punctum I De ordinaria dispensatione.

**538. I.** Obtenta dispensatione ad convalidandum matrimonium nulliter contractum, **forma tridentina** iterum abhibenda est quotiens nullitas oritur ex impedimento quod publicum est vel, licet nunc occultum sit, postea in foro externo probari posset, puta consanguinitatis; sufficit occulta consensus renovatio, quando impedimentum occultum est, nec ullum rei probandae periculum datur. Patet e praxi S. Poenit. quam testantur Bened. XIV (Inst. Eccl. 87. n. 62 seqq.), Instr. Austriaca (§ 92), etc.

Ratio est: in posteriore casu, non autem in priore, jam obtentum esse finem Conc. Tridentini, vid. impediendi ne ii qui clam contraxerint, novas nuptias attentent. (n. 495) Ubi enim publice constat de legitima matrimonii celebratione, impedimentum vero latet, Ecclesia eos qui ita contraxerint tamquam legitimos conjuges habebit; contrarium fieret, si impedimentum publice notum foret. Neque, in casu occulti impedimenti, obstat quod forte parochus et testes, contracti matrimonii tempore, impedimenti conscii fuerint: non enim ad testandum valorem, sed ad externam matrimonii celebrationem probandam adhibentur. (S. Alph. n. 1112)

Si partes non sunt subditae decreto *Tametsi*, formam Tridentinam iterum adhibere debent ad liceitatem, non autem ad valorem, quotiens impedimentum publicum est seu facto, seu natura.

**539. II.** Spectata sola rei natura, ut matrimonium, sublato impedimento, valere incipiat, non requiritur **novus consensus ab utraque parte elicitus**, et multo minus necessarium est ut, antequam consensus hujusmodi detur, **utraque pars nullitatem matrimonii cognoscat**.

Utrumque requiri opinati sunt multi AA. (Sanch. l. 2. disp. 36. n. 4; Schmalzgr. in Decr. l. 4. t. 16. n. 258 seqq., etc.) quia prior consensus, obstante impedimento, fuit nullus ideoque dici nequit perseverare, et, si renovaretur, dum una saltem pars ignoraret matrimonii nullitatem, haec pars non consentiret in novum matrimonium, sed tantum ratificaret consensum priorem ideoque nihil efficeret. Verum jam communiter haec sententia deseritur (S. Alph. n. 1115; Gasp. n. 1130; Rosset, n. 2995 seqq.) Etenim ejus falsitas patet e praxi hodie tam crebra dispensationum in radice. (n. 540) Nam, ubi hujusmodi dispensatio obtenta est, nullus novus consensus vel certioratio partium requiritur; Ecclesia tamen certo supplere nequit quae e rei natura ad validum matrimonium ineundum requiruntur. Intrinsicam autem hujus jam communis sententiae ratio

est : consensum prius datum, non fuisse inefficacem nisi propter impedimentum; hoc igitur sublato, idem consensus perseverans effectum suum naturalem sortietur. Hinc patet falsitas rationis pro priore sententia allegatae : vid. consensus cui obstat impedimentum nullus est tantum quoad effectum juridicum quem sortiri deberet, sed ex se habet quaecumque e rei natura requisita sunt ad hunc effectum producendum.

**III.** Ubi obtenta est ordinaria dispensatio, consensus ab utraque parte renovandus est, et, si impedimentum uni parti tantum notum est, haec alteram certiore facere debet de nullitate prioris matrimonii. Solet enim S. Poenit. ubi dispensat in affinitate e copula illicita hanc clausulam apponere : " Monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute ut ipsius delictum numquam detegatur. " Hac clausula imponitur hujusmodi certioratio, ubi sine periculo fieri potest, tamquam condicio sine qua non conceditur dispensatio. Atque etiam ubi haec tali clausula non afficeretur, tutius esset eodem modo agere ut valor matrimonii in tuto collocaretur, cum multi AA. supra citati eam certiorationem iteratumque consensum prorsus necessaria ducant.

Quando, ut plerumque contingit ubi dispensatum est in impedimento affinitatis e copula illicita, aperte fieri nequit certioratio, ob periculum ne altera pars causam nullitatis suspicetur vel a nuptiis resilire velit, conandum est ut modo aequivalenti obtineatur consensus qui sufficiat ad matrimonium, cognita nullitate, revalidandum. Varios modos suggerunt AA. Fere aequivalent isti duo quos probat S. Alph. (n. 1117) : " Quando nupsi, non habui verum consensum ; nunc praestare volo. Vis et tu praestare? " et : " Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum. "

**IV.** Quando alteri parti ingeri nequit notitia vel dubium de prioris matrimonii nullitate, sine gravi periculo infamiae vel separationis, sufficit, ad validandum matrimonium, ut, sublato impedimento, consensus partis consciae aliquatenus externe manifestatus, puta per copulam maritalem, jungatur eum consensu virtualiter perseverante partis insciae. Etenim renovatio consensus non requiritur probabiliter nisi quia per rescriptum S. Poenitentiariae tamquam condicio adjecta est dispensationi. (III) Jamvero S. Poenitentiaria satis ostendit suam voluntatem remittendae illius condicionis quotiens prudenter impleri nequit. Nam, post verba supra allegata, haec addit : " Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis AA. traditas. " Quare opinantur Ball. P. (n. 1331) et Lehmk.

(II. n. 825), S. Poenitentiariam, dum verba supra citata jampridem usitatis addidit, manifestasse intentionem suam sanandi in radice (quatenus opus fuerit) consensum olim datum, dummodo necessitas urgeat.

Verum quotienscumque, antequam dispensatio petatur, dubium prudens habetur de possibilitate implendae condicionis illius quae ordinariae dispensationi adjici solet, juvabit recurrere ad extraordinariam.

#### Punctum II. De sanatione in radice.

**540. I.** Sanatio in radice est actus quo R. P. abolet legem impedimenti dirimentis, quatenus in casu determinato obstat valori consensus naturaliter sufficientis ad matrimonium contrahendum. Hinc ejus effectus sunt :

1<sup>o</sup> Realiter efficere matrimonium validum absque novo consensu contrahentium : nam, remota lege qua tollitur efficacia consensus, hic jam est efficax vinculumque matrimonii gignit. Hinc patet hoc remedio convalidari posse matrimonium, etiamsi neutra pars nullitatem vel dispensationem cognoscat.

2<sup>o</sup> Realiter tollere a momento concessionis omnes effectus, qui e nullitate matrimonii orti erant, puta illegitimitatem liberorum. Quandonam liberi, e matrimonio nulliter inito suscepti, sint jure ecclesiastico legitimi, colliges ex dicendis n. 634.

3<sup>o</sup> Per fictionem juris, effectus praedictos referre ad initium contractus : qui, licet reapse exstiterit invalidus donec sanatio in radice concessa fuerit, juridice tamen censebitur semper habuisse dignitatem et effectus legitimi conjugii.

Hinc facile cernitur quid intersit inter hoc remedium extraordinarium et ordinariam dispensationem, qua partes fiunt tantum habiles ad contrahendum, posito novo consensu, neque effectus validi matrimonii ad momentum consensus naturaliter validi retrahuntur. Discrimen indicat ipsum nomen sanationis in radice : qua scil. remedium dispensationis effectus suos juridicos ad initium seu radicem matrimonii protendit. (Ball. P. n. 1420) Hanc peculiarem dispensationem a R. P. dari posse, liquet tum ex ejus natura mox explicata, in qua nihil est quod supremi legislatoris facultatem superet, tum e praxi S. Sedis, quae jam a pluribus saeculis hujusmodi dispensationes, hodie valde usitatas, elargiri solet.

**541. II.** Condiciones requisitae ad obtinendam sanationem in radice sunt :

1<sup>o</sup> Ut causa invaliditatis sanandae sit *juris mere ecclesiastici*. Etenim, si obstaret lex divina aut naturalis, Ecclesia eam auferre non posset.